

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

MODESTIA ET  
MAGNANIMITATE.

QUAM

*Auspicio Sacro Sanctæ Trinitatis,*

ET

Consensu Amplissimi senatus Philosophorum;

IN

*Incluta & Regia Aboensium Academia,*

Pro Gradu & Privilegijs Magisterij obtinendis;

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Reverendi & Præclarissimi,*

M. ENEVALDI SVENONIS,

Gyldenh. Al. Eloq. Profefs. Ordinarij, Promoto-  
ris, Fautoris & Præceptoris sui plurimum suspiciendi;

*Publicè exhibet ventilandam.*

HENRICUS MAGNI SCHRODERUS

WERMELANDUS.

Ad diem Maij A<sup>o</sup> 1657. Horis locoq; Consuetis

A B O Æ.

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typog.



*Admodum Reverendo & Excellentissimo Viro,*  
**DN. M. SVENONI BENE-**  
**DICTI CAMOENIO,** Wermelandensium, Vaf-  
boensium & Vallehærensiū superintendenti gravif-  
simo, Civitatis Carlstadenfis ut & Kilensis Ec-  
clesiarum pastorilongè dignissimo, Mecce-  
nati Magno, Calido observantiæ ze-  
lo atatem devenerando.

**Reverendis itidem Clarissimis &**  
**Venerabilibus Viris, Venerandi CONSISTORII**  
**Eccles. Carlstadenfis ADSESSORIBUS,** ejusdem  
Diecefis Præpositis & Pastoribus fidelissimis,  
Promotoribus suis indubi-  
tatissimis,

*Hanc Disputationem Solennem, humilitèr*  
*& officiosè consecrat & offert*

**HENRICUS MAGNI**  
**SCHRODERUS**  
Wermel.

# Prooemium.

**I**ntra augustam Philosophia peripheriam, multa quidem continentur, quae animo mortalium oblectamento esse possunt, spatiosissimum quippe & praclarum ibi menti nostrae constitutum est theatrum, in quo ad varia, varij cognoscendi studio feruntur. Mibi itaque à Venerando Philosophico Collegio admissio, ut pro consueto in Philosophia gradu obtinendo, aliquid loco speciminis publici ederem, simulque florentissimum virtutum Moralium viridarium hortumque amantissimum ingresso, etsi res per plurimam sese affarim obtulerint, quae eximia sua jucunditate, suique adeo me desiderio & amore impellere potuerint, ut earum aggrederer considerationem, praeceteris tamen animum meum fragrantia sua ita affecerunt Magnanimitatis & Modestiae flores ut eos carpere non facile poenituerit. Has igitur pro ingenij tenuitate virtutes, praesentis quoque temporis ratione breviter meditari ac contemplari, cumque annexis aliquot illustribus quaestionibus utramque irradiantibus, candidorum pectorum censura, decenti modestia submittere constitui. Quare ante omnia devotè oro, ut tantum huic negotio caelestis Numinis favor indulgeat, quo almo hoc Athenaeo digna contingat diaeresis.

Sit itaque;

A 2

Thesis



## Thesis I.

**D**erivatur Modestia juxta nonnullos bifariam: *primò* à modo seu moderatione, quam in honoribus statuit modestia. *Secundò* à modico, juxta Varronem, quia circa modicos honores versatur.

### II.

Modestix vox sumitur (1) *Generaliter*, pro continentia & quavis cupiditatum moderatione, seu moderato omnium virtutum usu, ut Cic. lib. 3, ad Herenn. (2) pro *evrasia* & bona coordinatione. Cic. 1. offic, 1, (3) pro temperantiâ, ut idem Cic. lib. 3. Tusc. Quæst. (4) & *ultimo* pro virtute honorum cupiditatem moderante & compescente, quæ acceptio hujus est loci.

### III.

Hisce itâ præmissis Notatione videl. & Æquivocatione, Definitionem Realem hanc damus cum Nobilissimo & Consultis. D. D. Gyllenstâlpe/ Practico hujus Academiae Ordinario, quæ talis est: *Modestia est* virtus mediocritatem servare docens, in minoribus honoribus

ribus appetendis, fruendis vel fugiendis. Videatur Disp. 9. Thef. 3. Colleg. Eth.

IV.

Hujus virtutis objectum est duplex: *internum*, ipse honorum appetitus, qui moderatus esse debet. *Externum*; Honores, non autem quivis, sed tantum parvi, modici & mediocres, nobis tamen debiti, in hoc enim modesti officium potissimum consistit, ut debiti honores modo & more licito appetantur.

V.

Asterisco notandum est, *Actus Modestiae* circa honores mediocres constitui quadruplices, quorum *primus* est: *Legitima appetitio*, quæ respicit (1) *Causa dignitatem* scilicet ut honorem appetamus ex re, quæ digna judicatur honore ut sunt: benè administrata Resp. honesta militia, virtutis bonarumq; artium studium &c. (2) *Objecti* h. e. ipsius honoris petiti proportionalem quantitatem, vtz ut ejusmodi saltem expetamus honores, quos virtus, doctrina & facta nostra exigunt. Sic Bias cum ipsi piscatores tripodem aureum offerrent cum inscriptione: *Sapienti deferetur*, eum admittere detrectavit, dicendo, solum Apollinem esse sapientem.

VI.

(3) ipsius actus appetendi qualitatem, nimi-

rum ut modeste non ambitiose honores appetamus. Etenim qui invitis vel aliis *γνῶσι σε αὐτῶς* defertur honos, is demum solidus & perpetuus censetur, ast qui seipso sine fundamento & importune ingerunt ut honorentur, suspectæ fidei sunt. His tamen verbis moderatam honoris cupiditatem minime excludere intendimus. Notandum n. diligenter Axioma *Ethicorum: Honorare est melius, quam honorari.* Quod intelligendum est de honorum distributione, qua superior dicitur honorare inferiorem, ipsi tribuendo honores & privilegia, non autem de virtutis testificatione, qua inferior superiorem honore afficit.

## VII.

*Secundus:* Acquisitio, quæ respicit media legitima, non illegitima. Non enim per mala licet ire ad bonum finem. Unde modesti non sunt qui vi, fraude, metu, Crudelitate, largitionibus aut calumnijs honorem consequuntur.

## VIII.

*Tertius: Terminatio appetitus,* quo *Aquiescimus* scil. & partis contenti sumus, non nobis altiora quærentes, extra vocationis nostræ cancellos migrando. Hinc recte Apost. Rom. 12. Nemo sapiat supra quam oportet, sed sapiat ad modestiam. *Quartus & ultimus est Legitima ho-*

*norum conservatio & adversus Sycophantarum  
morsus Defensio.* Quippe sui defensionem  
natura inculcat, permittunt jura.

IX.

Extrema Modestię duo sunt, *Unum in Excessu,*  
& vocatur *Ambitio*, *Alterum in Defectu*, quod  
proprio nomine caret, nimius tamen honorum  
contemptus appellari potest. *Ambitio* est vi-  
tium quo honores mediocres nimium & præ-  
ter rectam rationem expetimus. Nimius ho-  
norum contemptus est vitium quo honores  
etiam nobis debitos præter rationem & deco-  
rum aspernamur.

*Hæc de Modestia de ratione institu-  
ti attulisse satis esto.*

## QUÆSTIONES.

*An ad honores aspirandum? Aff.*

*An omnis honorum contemptus sit laudandus? Neg.*

*An honor potius honorantis, an v. honorati? Dist.*

*An aequalis debeat esse defensio honoris & vitæ? Neg.*

*An homo virtute præditus semper sit honore dignus? Aff.*

*An Philotimia sit turpior quam a Philotimia? Aff.*

## DE MAGNANIMITATE.

Th. I.

**M**agnanimitas deduci solet à triplici magni-  
tudine (1) *subjecti videl. animi*, quoniam ad

illam

illam magnus requiritur animus, & cor excelsum plenumq̄ spiritus & caloris. Hinc ab Arist. dicitur 4. Eth. c. 7. μεγαλοφυχία ἀπὸ τῆς μέγερ. (2.) *Objecti* utpote honoris, quia versatur circa honorem magnum; qui bonorum omnium est maximum. (3.) *Effecti seu actus*, qui exercetur.

## II.

Magnanimitatis acceptio est (1) *Generalis* quâ accipitur pro quavis excellēte virtute circa magna & ardua occupatâ. Hâc, magnanimitas fumitur *tum* pro fortitudine, quia in magnis periculis magnus requiritur animus, *tum* pro magnificentia, quia in gratificando quoq̄; magnus animus desideratur. (2) *Specialis & stricta*, ex mente Aristot: pro specialiori virtute, circa honores magnos occupatâ, quæ acceptio præsentii instituto favet,

## III.

Et sic definiri potest, prout eam Nobiliss. & Consultiss. D. D. Gyllenstâlpe in prænomina natâ Disp. Th. 34. Colleg. Eth. definivit; **MAGNANIMITAS** est virtus mediocritatem servare docens in cupiditate magnorum, sed debitorum honorum, ne vel immoderatè expectantur vel indecentè contemnantur. Unde *Generale Objectum* ejus nimirum est omne magnum in rebus & actionibus humanis. *Speciale* autem Honor magnus.



## IV.

*Officia seu actus Magnanimitatis* duplices sunt  
**Primus** Appetitio; quæ erit (1) moderata, h. e. ut magnanimus honores appetat moderatè, tanquam virtutis suæ debitum, non tanquam res planè novas & insolitas. (2) Proportionata, (1) Suis factis laudabilibus. (2) Statui & bono publico, h. e. quantum status & bonum publicum vel admittunt vel exposcunt. Ex hoc fundamento Politici monent Filium in publica dignitate constitutum patri tanquam privato præferendum esse, scil. in locis & muneribus publicis, in privatis autem & domesticis contrarium valet, tunc enim filius quà talis, parenti non præfertur. Prout Taurus ille Philosophus illud dubium solvit, ut videre est apud Gell. Hinc Fabius Gurges Consul Fabium Max. patrem cum obvium haberet equitantem, equos jussit descendere, quem tantum abest ut pater reprehenderet, sed hortaretur potius pergere, eâq; autoritate dignitatem Pop. Rom. tueri, idem Gell. 2. c. 2. Plutarch. in Fab. Max.

## V.

*Secundus*: Acceptatio, quâ magnanimus accipit honores veros à viris magnis ac probis, non autem plebeis & improbis. Exemplum est Alex. M. qui edicto vetuit, ne à quoquam pingere-

retur præterquam ab Apelle, nec à quoquam  
ære sculperetur præterquam à Lyfippo, suæ æ-  
tatis artificibus præstantissimis, Cic. lib. 5. Epist.  
Famil. Plutarch. in vita Alex. in honore con-  
temnendo magnanimus erat Agefilaus, qui in  
ludo quodam solenni iussus occupare locum  
minus honoratum: *Ostendam, inquit, non locum  
viris, sed viros loco conciliare dignitatem.* Plu-  
tarch. in Laconicis.

## VI.

Magnanimitatis *Extremum* in Excessu est  
*Fastus & elatio*, Estq; fastus vitium, quo insi-  
gnia dona quæ non insunt, vel etiam majora  
quam insunt, magnosque exinde honores sibi  
indebitos quis arrogat. Hic fastus sermone,  
gressu, vestitu, luxu se prodit.

## VII.

Pusillanimitas est vitium quo homines ijs  
honoribus se indignos judicant, qui tamen  
virtuti & meritis eorum debentur. Hujus  
modi pusillanimes peccant (1) in ipsam vir-  
tutem, quam debito præmio privant. (2.)  
in seipfos dum malam de se suspensionem a-  
pud alios excitant. (3) in Deum dum non a-  
gnoscent dona à Deo concessa. Inter se col-  
lata hæc duo *Extrema Pusillanimitas* censetur  
dete-

deterior ratione *finis*; quia ipsa reddit homines Reip: inutiles. Ratione autem *Causa* & *effecti* longè detestabilior est *factus* & *Elatio*; quia superbia est à Diabolo, & protoplastos seduxit.

## QUÆSTIONES

- An Magnanimitas sit virtus? Aff.*  
*An Magnanimitas sit specie distincta virtus à Mod? Neg.*  
*An Magnanimitas cum humilitate Christ. pugnet? Neg.*  
*An Magnanimus injurias recordari & ulcisci debeat? Dist.*

### ΜΙΣΚΕΛΛΑΝΕΑ

- An Materia & Forma sint principia individua naturæ? Aff.*  
*An Angeli sint sine materiâ & incorporei? Aff.*  
*An dentur principia nobiscum nata? Aff.*  
*An studiosis liceat gestare arma? Dist.*  
*An Legatus fines sui mandati excedere possit? Dist.*  
*An Appetitus insit plantis? Aff.*  
*An Accidens possit producere substantiam? Neg.*

### SOLIDEO GLORIA.

*Humanissimum, doctrinâq; perpolitum Virum,*  
 DN. HENRICUM MAGNI SCHRODE-  
 RUM Werm. Philosophiæ Candidatum eximium, ut à  
 primordijs Acad. hujus mihi notissimum; ita de me-  
 liori notâ nunc commendatissimum amicum,  
 pro gradu pulchrè disputantem:

**P***remia sudantem maneat si nulla laborem,*  
*Et careat virtus laudibus alma suis;*  
*Lusubrare volet quis porrò, & surgere manè,*  
*Esuriet, sitiet, frigora quivè feret?*  
*Livor edax, qui cuncta negat, dum regna peragrat,*  
*Protinùs è medio tollitur omnis bonos.*  
*Virtutes aliud svadent tibi, doctè Schroderè,*  
*Amba, quas profers pro meliore loco.*

L. Mq;

ENEVALDUS SVENON.  
 Gyldenh. Al. Eloq. Prof. Ord.

**Q***uam pauci poterant tria quæ superare sequuntur:*  
 PAUPERIEM, MORBUM, TÆDIA Pieridum.  
 Ecce probare potis documentis sum benè multis,  
 Testis & ipse mihi CANDIDE CENSOR eris;  
 Vincere sed tandem cuncta hæc valuisse SCHRODE-  
 RUM

*Fratrem, jam cernis pervigili studio.*  
*Quod laudare velut mihi non fas, (vera fatebor)*  
*Sic Culpare nefas grandius esse reor.*

*αἴς ἀδελφίας ἔνεκα*

Cecinit

ELAUS M. SCHRODERUS.